

της ηλικίας μεταπιπύσεως καὶ τὰ ἡδέα γίνεσθαι ἕτερον. *Archilochum* dixisse ferunt, *Qualis sit dies, talem hominibus esse vōon.* Nec abludit *Seneca* (*epist. XX.*) sic scribens: *Variatur quotidie iudicium & in contrarium vertitur, ac plerunq; agitur vita per lufum.* Ita *Augustinus ad Hieronymum* (*epist. XV.*) de homine dicit, *Novit utcunq; vix fortè nunc qualis sit, qualis autem postea futurus sit, ignorat.* *Cicero* manifestè *ad Brutum* (*Orator. §. 237.*) Potest non solùm aliud mihi ac tibi, sed mihi ipsi aliud (†) aliàs videri: nec in hâc modò re, quæ ad vulgi assensum spectat & ad aurium voluptatem, quæ duo sunt ad iudicandum levissima; sed ne in maximis quidem rebus quicquam adhuc inveni firmissus, quod tenerem, aut quò iudicium meum dirigerem, quàm illud, quodcunq; mihi quàm simillimum veri videretur, cùm ipsum illud verum in occulto lateret. Gravior sanè est & Politicis tamen examinanda perodus illa, quam proluxæ isti ad *Lentulum* (*lib. I, 9.*) epistolæ inseruit, Numquam præstantibus in Republ. gubernandâ viris laudata est in unâ sententiâ perpetua permansio, sed ut in navigando (α) tempestati obsequi artis est, etiam si portum tenere nequeas, cùm verò id possis mutatâ velificatione assequi, stultum est eum tenere cursum, quem ceperis, potiùs quàm eo commutato, quò velis, tandem pervenire: sic cùm omnibus nobis in administrandâ Republ. propositum esse debeat id, quòd à me sæpissimè dictum est, cum dignitate otium, non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. Hinc & prudenti Poëtæ *Horatio* (*de Arte ad Pison. v. 157.*) & nature & anni dicuntur mobiles.

A 2

Nec

(†) Ita memini me studiosum adhuc non semel audire illud, *Domi aliter sentio.*

Et alius celeberrimus Theologus: Interim privatim videtur nobis probabilius.

(α) Nimirum juxta illud Comici, *Utcunq; ventus est, exin velum vortitur*, *Pænul. III, 5, 3: Epidic. I, 1, 47: Ita fecerunt Palmurus & Æneas V. Æneid. v. 17. seqq.* juxta vetus illud Titinii, *Sapientiâ gubernator navim torquet, haut valentiâ: ubi valet illud Pindaricum, κυβερνατῆρ' οἰακοσρόφ' ἡνώμα πεπιθῶν πολυβύλω,* *Istbm. d. fin. Et Tacitus XII. Annal. c. 6.* Morem accommodari, prout conducatur.